



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANCTI THOMAE APOSTOLI
CHICAGIENSIS SYRORUM-MALABARENSIUM*** IN FOEDERATIS CIVITATIBUS AMERICAE
SEPTENTRIONALIS

NOVA EPARCHIA CONDITUR NOMINE SANCTI THOMAE APOSTOLI CHICAGIENSIS SYRORUM-
MALABARENSIUM Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, cuius est praesertim sub lumine doctrinae Concilii
Oecumenici Vaticani II consulere quoque communitatibus Christifidelium Orientalium per orbem terrarum versantium,
sollicita de spirituali salute atque maiore unitate regiminis fidelium Ecclesiae Syrorum-Malabarensium, qui decursu
temporum varias ob vicissitudines, propriis regionibus relictis, se contulerunt ad hospitaes terras Foederatarum
Civitatum Americae Septemtrionalis, praehabito consilio Venerabilis Praesulis Varkey Vithayathil, C.S.S.R., Archiepiscopi
Maioris Ernakulamensis-Angamaliensis Syrorum-Malabarensium atque omnibus mature perpensis, censuit ut pro
memoratis fidelibus nova Eparchia constitueretur. Nos igitur qui ut beati Petri Successores diligentissimam curam
gerimus de universo grege Dominico, ratam habentes talem sententiam a Praefecto Congregationis pro Ecclesiis
Orientalibus in Audientia hodie ad Nos relatum, summa Apostolica potestate condimus Eparchiam *Sancti Thomae
Apostoli Chicagiensis Syrorum-Malabarensium* pro fidelibus eiusdem ritus in Foederatis Civitatibus Americae
Septemtrionalis commorantibus, cunctis tributis propriis iuribus atque obligationibus. Quae quidem ceteraque secundum
normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta
exarentur et ad Congregationem, quam diximus, mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in
posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die
decimo sexto mensis Februarii, anno Domini bis millesimo primo, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.*

| | |
|---------------------------|---|
| ANGELUS card. SODANO | IGNATIUS MOUSSA card. DAOUD |
| <i>Secretarius Status</i> | <i>Congr. pro Eccl. Orientalibus Praef.</i> |

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 7, pp. 423-424 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana